



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

V. Dissoluuntur rationes pro contraria sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

112. Deinde non solum remittitur homini debitum
 113. carenti auxilio, sed etiam remittitur propriè pœna
 aeterna, ut docet Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* ubi dicitur
*per orationes, elemosinas, & alia pia opera nos non
 satisfacere pro pœna aeterna, quæ Sacramento, vel sacra-
 menti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna tem-
 porali, &c.* Ergo adhuc post collationem auxilij cõ-
 grui, non habet vim contritio ad satisfaciendum
 condignè pro pœna aeterna: Si enim satisfaceret
 non remitteretur propriè, remissio namque non est
 ubi datur vera solutio.

Dices remittitur pœna aeterna radicaliter qua-
 renus remittitur debitum carenti auxilio ad cõtri-
 tionem, si enim illud non remittitur, non posset
 homo satisfacere pro pœna aeterna; ideo extinctio
 pœnæ aeternæ, est gratuita in radice. Sed cõtra, quia
 in sensu, etiam pœna temporalis potest dici remitti
 similiter in radice; Nam si homini non remittere-
 tur debitum carenti auxilio congruo ad cõtri-
 tionem, non posset postea per elemosinas, &
 alia pia opera satisfacere pro pœna temporalis;
 & tamen hoc non obstante, Concilium dicit, ho-
 minem satisfacere pro pœna temporalis, non verò
 pro aeterna, quia hæc gratis remittitur; ergo non
 solum agnoscit gratiam in radice, sed in ipsa for-
 mali extinctione pœnæ aeternæ, quæ non tollitur
 per satisfactionem condignam, sicut pœna tempo-
 ralis.

Denique ratio à priori conclusionis sumitur ex
 natura contritionis, quæ cum sit actus transiens,
 non potest esse forma propriè iustificans, nam for-
 ma iustificans eo ipso formaliter facit hominem fi-
 lium adoptivum Dei, & per consequens similem
 Deo in natura per participationem; hoc autem ha-
 bet gratia habitualis, quæ tenet per modum naturæ
 in ordine supernaturali est prima radix habituum
 supernaturalium, quibus homo operatur opera-
 tiones diuinas, & quibus tandem assimilatur Deo
 in visione, & dilectione ipsius Dei: Contritio
 verò, cum sit actus non potest esse radix habituum
 insulorum, nec habere se per modum naturæ in
 ordine supernaturali; non ergo habet ea quæ re-
 quiruntur ad iustificandum.

Hinc etiam constat quomodo non possit forma-
 liter expellere peccatum habituale: nam (ut supra
 vidimus) peccatum habituale & peccatum præteri-
 tum non condonatum, vel expiatum per condi-
 gnam satisfactionem; cum ergo contritio non sit
 condonatio Dei nec etiam satisfactio condigna; non
 opponitur formaliter peccato habituali, nec de-
 struit formaliter illud; sed solum dispositivè, & de
 congruo, quatenus Deus infallibiliter promissit
 contritioni, ut congruè dispositioni, condonatio-
 nem peccati, & gratiam habituales quæ formaliter,
 & propriè tollatur macula peccati.

Ex dictis inferitur secunda pars nostræ cõclusio-
 nis scilicet, contritionem non solum de facto non
 iustificare formaliter, sed neque etiam de possibili
 in illo casu id habere. Nam repugnantia assignata
 eodem modo probant de possibili, & quidem si de
 possibili id haberet, haberet etiam de facto: forma
 enim applicata subiecto capaci non potest impediri
 quin communicet illi suum effectum formalem: Si
 ergo contritio ex se esset potens ad dandum hunc
 effectum formalem daret illum de facto.

Dices, de facto non posse hoc fieri, quia cõtri-
 tio præsupponit habitum gratiæ, & charitatis, à quo
 fit, & per consequens inuenit iam peccatum expul-
 sum per illos habitus. Sed contra, quia in primis
 falso supponitur contritionem fieri ab habitu cha-
 ritatis, nam ut videbimus *sect. 7.* non fit ab habitu sed
 ab auxilio. Deinde licet fieret ab habitu, posset
 P. Joan. de Lugo de Penitentia.

iustificare, quia sicut ipse habitus per se iustificat,
 pro illo priori, licet in alio genere causa sit prior
 contritio, cur etiam contritio pro illo priori, quo
 præcedit habitum ex parte subiecti, non poterit
 iustificare, licet in alio genere causa subsequatur
 ad habitum; Consequentius ergo concederetur
 iustificare, de facto si semel admittitur de possi-
 bili.

SECTIO V.

Dissolvuntur rationes pro contraria
sententia.

Testimonia Sacra Scriptura, & Patrum quibus
 P. Vasquez vitur, iam dissolvimus *sect. 3.* nunc
 respondeamus ad rationes. Primo ergo obici potest
 pro illa sententia: quia contritio est satisfactio
 æqualis, & condigna pro offensa, ergo debet for-
 maliter offensam. Consequentia est bona, quia of-
 fensa tãdiu solum durat moraliter in ratione offen-
 sæ, quandiu non condonatur vel non compensatur
 per sufficientem satisfactionem, ut vidimus disputa-
 tione præcedenti: si ergo contritio est satisfactio
 æqualis, iam non poterit manere offensa in ratione
 offensæ. Antecedens verò, quod scilicet sit sufficiens
 satisfactio, probatur: quia tam placet Deo actus
 contritionis, & dilectionis, quo homo se, suæque
 omnia Deo offert, & propriam vitam, ac proprium
 esse Deo postponit ex effectu amoris quam displi-
 cuit ipsi Deo peccatum, & offensam: tam bonus enim
 est iste actus quam fuit malus ille: ergo actus iste
 sufficiens est per se ipsum ad placandum Deum
 offensum: quid enim aliud requiritur ad placandū
 quam placere illi tantum, quantum antea peccator
 displicuerat.

Hæc ratio in primis non videtur probare totum
 intentum, quia licet daremus, actum contritionis
 habere tantam vim ad placandum; quantam pec-
 catum habuit ad displicendum: intelligendum vi-
 detur cum proportionem: scilicet actus, intensus
 contritionis haberet vim ad placandum pro odio
 Dei intenso; contritio verò remissa pro odio remis-
 so. Si enim odium Dei fuit intensissimum, & diu-
 turnum, non videtur servari proportio æqualitatis,
 si postea in satisfactione offeratur contritio brevis
 & remissa: non ergo probaretur eo argumento,
 quamlibet contritionem sufficere ad iustificandum
 formaliter: sed ad summum id probaretur de con-
 tritione æquali cum peccatis præcedentibus: maio-
 ra enim peccata maiorem exigunt satisfactionem
 condignam.

Deinde ab obiectionem absolute negamus con-
 tritionem esse satisfactionem æqualem pro peccato,
 neque enim vlla pura creatura potest satisfacere
 æqualiter pro peccato, quantumvis multiplicet
 obsequia, & actus intensissimos, cuius rationem de-
 dimus in materia de Incarnat. *disp. 5.* ubi illa quæstio
 ex professo tractatur: & commissis alijs modis & ratio-
 nibus, diximus, id provenire ex magnitudine offen-
 sæ, quæ licet non sit infinita simpliciter, habet tamē
 quandam infinitatem secundum quid, quatenus est
 incompenfabilis; radix autem huius incompenfabi-
 litatis in ordine ad satisfaciendum explicatur, sicut
 infinitas in ordine ad pœnam, nam sicut offensa,
 cum in se non sit infinita parit pœnam infinitam in
 duratione, quia in delicto quo summè, & omnino
 expedit vitari, illa est pœna condigna, & æqualis,
 quæ in æstimatione prudentum sufficit ad arcen-
 dos homines ab illo delicto, & quia ad arcendum
 homines à peccato mortali, quod summopere in-
 terest vitari non sufficeret moraliter alia pœna quæ
 non esset infinita in duratione, & qualis à fide nostra

Prædicatur ideo illa pœna est æqualis, & condigna Pro peccato mortali: ita etiam pro aliqua offensa, quam valde oportet vitari, illa satisfactio æqualis, & cōdigna, quæ moraliter exigitur, vt ex eius facilitate non vilescat offensa, sed arceantur potius homines ob difficultatem satisfaciendi, & placandi personam offensam: vilesceret autē apud homines offensa Dei, & facile peccaret, si sciret, Deū obsequiis, & compensatione etiam diuturna posse condigne placari; cum ergo necesse fuerit homines omnino ab offensa Dei graui arcere, necesse fuit, vt offensa illa esset ex natura rei incompenfabilis vllis obsequiis puræ creaturæ; & hæc infinitas illa secundum quid, quam offensa grauis habet, est, inæquabilitas per vlla obsequia puræ creaturæ, quod totū oritur ex dignitate summa Dei, qui offenditur, ratione cuius necesse est, homines omnino ab eiusmodi offensa perpetrare deterere.

110.
Peccatum mortale potentius est in ordine ad offendendum Deum, quam in ordine ad placandum.

Hoc ergo supposito, fatendum est, potentius, & efficacius esse peccatum mortale in ordine ad auerendum, & offendendum Deum, quam contritionē ad placandum; minusque placere in ordine ad hunc effectum contritionem, quam displicere peccatum in ordine ad oppositum quod exemplo etiam humano ostendi potest: plus enim longe displicet Regi, & mouet eum in ordine ad pœnam, & offensam, si aliquis subditus machinetur cōtra eius vitam, quā placeat eidem, vel moueat in ordine ad præmium, vel remunerationem, si alius subditus eum diligit, vel nolit eum occidere, ideo dixi loco citat. de Incarn. sect. 1. posse aliquid æquè placere quasi in genere moris, seu in ordine ad gratitudinem, & remunerationem; nam ille Regi æquè placet physice, quod iste nolit eum occidere: ac displicet quod ille alius eum velit occidere: tam enim placet ei vita, quā displicet mors, sed tamen in ordine ad gratitudinem, & præmium non tamen mouet vnum, quā aliud in ordine ad supplicium, & indignationem.

111.

Aliquibus Recentioribus non placuit hæc nostra distinctio de complacentia in genere physico, & in genere moris, dicunt enim, Regem in casu posito non complacere sibi proprie in voluntate subditi non occidendi eum, sed displicere in occisione, & ex hoc displicentia amare voluntatem non occidendi, non propter bonitatem, quæ sit in ea voluntate, sed propter malitiam, quæ sit in voluntate contraria: sicut dæmon, vel quilibet damnatus ex displicentia in tormentis amat suam annihilationem; non propter bonitatem, quam agnoscat in annihilatione; sed propter malum, quod patitur, dum existit, & quod fugere intendit: quare ille amor annihilationis non est complacentia in non esse, sed displicentia in tormentis, & fuga illorum: ita, inquit, voluntatem, & fidelitatem subditi amat Rex ille; non tam per complacentiam in bonitate ipsius, quā per affectum displicentiae in obiecto contrario. Sic etiam Deus potest tam complacere in amore sui, quā displicere in odio, vel carentia amoris præcepti, non tamen per affectum propriæ complacentiae ex bonitate amoris, sed per affectum magis displicentiae, & ex motiuo malitiæ positæ; malitia enim mouet non solum ad odium obiecti mali, sed etiam ad amorem obiecti contrarij, licet nullam habeat bonitatem in se. Possemque hoc declarari odio peccati, nam licet in peccato non sit malitia infinita: in Deo autem sit bonitas infinita adhuc charitas tam odit peccatum, quā diligit Deum cui peccatum opponitur, quia nimirum odium illud peccati est virtualiter dilectio Dei, & habet idem motiuum bonitatis diuinæ: sic ergo è contra potest aliquis amare aliquid tantum

quantum odit contrarium, licet non sit in eo tanta bonitas quanta est malitia contraria.

Ego fateor hanc doctrinam probabilem esse sed tamen nō video, quo fundamento reiciatur distinctio illa nostra de complacentia in genere physico, & in genere moris: imò videtur in multis casibus amplectenda, verbi gratia, si subditus diues, & opulentus exoratus à principe, & ferè coactus dedisset ei mille nummos ad subsidium belli; alter verò egenus, & pauper, sponte omnino, & sine vlla obligatione dedisset quingētos ad eundem finem, quos solos habebat in bonis: certè Princeps licet in genere physico magis complaceret in illis mille, propter maiorem bonitatem, & vtilitatem ad bellum, quam habebant; sed tamen in genere moris, hoc est, in ordine ad gratitudinem, & remunerationem proculdubio, magis cōplaceret, in quingentis, qui ratione circumstantiarum efficacius fundant debitū gratitudinis, & laudis. Sic etiam Deus potest aliquando magis complacere quasi physice in opere remisso vnius iusti, ex quo sequitur magnum aliquod Ecclesie bonum, licet in genere moris, dicere possemus quod licet in genere physico Deus tantum complaceret in actu dilectionis, quantum displicet in odio sui, quatenus illa dilectio est vtilis ad vitandum odium; non tamen in genere moris, hoc est, in ordine ad remunerandum, &c. quapropter summam obligationem hominis ad diligendum Deum, nec est tam potens dilectio ad fundandam gratitudinem, quā odium Dei ad fundandam auersionem, & vituperium. Negamus ergo obiectionem, dilectionem, vel contritionem, habere tantam vim ad placandum Deum, quantum peccatum habet ad auerendum, & offendendum; peccatum enim habet vim ad auerendum implacabiliter propter rationem supra positam.

Dices, saltem pro culpa veniali posset semper contritio satisfacere cōdignè, & ad æquatē, quia tū bona est contritio etiam in genere moris quā culpa venialis fuit mala: cum contritio elicit ab homine iusto habeat valorem ad merendam de condigno vitam æternā quod est plus quā tollere reatum culpæ venialis. Respondeo ex iis, quæ notauimus dicta disp. 5. de Incarnat. sect. 1. n. 17. & 18. non argui bene ex valore condigno in genere meriti, ad valorem condignū in genere satisfactiois: maior enim valor, & virtus requiritur ad satisfaciendum condignè, quā ad merendum; quod quidem ab omnibus fatendum est; nam quilibet actus bonus elicitur ab homine iusto meretur de condigno augmentū gratiæ, & gloriæ, & tamen non satisficit de condigno pro toto reatu pœnæ temporalis, quam homo iustus debet, sed solum pro aliqua parte illius pœnæ: alioquin per vnicum opus bonum extingueretur totum debitum pœnæ. Rationem autem à priori assignauimus ibidem: quia scilicet, in ordine ad merendum præmium consideratur opus bonum secundum totam suam virtutem, quasi operans sine aliquo contrario, & ideo exierit totas suas vires ad mouendam liberalitatem præmiantis: at verò in ordine ad satisfaciendū, seu ad placandum, consideratur operans in præsentia contrarij, scilicet culpæ preteritæ, quæ habet magnā vim ad conseruandam indignationē, vel reatū pœnæ, & ideo resistit, ne Deus facillè placeatur, ne vilescat offensa Dei, & facillè admittatur culpa, atquæ adeo réperat actiuitatē operis boni ad satisfaciendū, quod nō facit in ordine ad remunerationem, & præmiū: cōcedimus ergo, contritionē, & attritionem etiam posse mereri aliquid manus

maius scilicet augmentum gratiæ, & gratiæ non tamen posse satisfacere pro culpa, nec sēper pro tota pœna tēporali, quia licet hoc in se sit minus, exigit maiores vires propter resistētiā contrarij.

124. Secundo obijci potest, quia contritio tollit formaliter aliquid, quod est intrinsecē constitutum peccati habitualis in ratione tali; ergo erit saltem forma partialiter expellens peccatum: ablato enim aliquo intrinsecō constitutivō peccati, non potest manere peccatum adæquatē in ratione peccati. Antecedens verō probatur, quia peccatum in ratione peccati, includit avertionē hominis à Deo; hæc autem tollitur formaliter per contritionem; per quā homo convertitur ad Deum: ergo tollit formaliter aliquid peccati; ergo erit forma saltem partialiter destructiva peccati. Propter hanc obiectiōnem aliqui, quos suppresso nomine refert Suarez in *presens. disp. 8. sect. 3. post tertiam conclusionem*, dixerunt, contritiōnem esse saltem rationem formalem partiā ad expellendū peccatū, ex ipsaque & gratia habituali confluere vnam rationem formalem integrā, quod videtur etiam indicari in Trident. *sess. 6. c. 7. dū dicitur*, hominem iustificari per voluntariam suscepiōnem gratiæ, & donorum. nō enim dicitur solum iustificari per suscepiōnem gratiæ, sed per voluntariam suscepiōnem. Suscepiō autem voluntaria in ratione voluntariæ includit voluntatem actualem quā homo converti, vult ad Deum. Hanc sententiā Suarez ibi dixit esse probabilem, licet probabilior sit opposita. Ceterū, si argumenta nostrā aliquid probant probare videtur contritiōnem nec partialiter esse formam iustificantiem: quia si partialiter saltem iustificaret, ergo ante aduentum habitus gratiæ, iā homo non esset verē peccator; iam enim careret formaliter per contritiōnem avertiōne à Deo, quæ est constitutiva peccati, saltem partialiter; ergo sicut homo sine anima, vel sine corpore non esset homo; ita sine avertiōne à Deo quæ est pars essentialis peccati, non intelligitur iam peccator.

125. Adde, avertiōnem à Deo & conversionem ad creaturam non solum posse tolli formaliter per contritiōnem, sed etiam per attritiōnem, & per actum naturalem contrarium; & tamen per hoc actus non expellitur modo formaliter peccatum. Neque obstant verba Tridentini adducta, quia in illis solum vult suscepiōnem gratiæ, & donorum debere esse voluntariam; hoc est, requiri dispositionem liberam ex parte hominis, non verō quod illa dispositio sit forma ad expellendum peccatum: imò postea quando assignat causam formalem nullam, mentionem facit nostræ voluntatis, vt notavit bene Suarez *lib. 7. de gratia, c. 8. n. 2.*

126. Alioquin sicut suscepiōne illa gratiæ aliquando est voluntaria, per attritiōnem, ita attritio esset tūc partialis forma iustificationis, quod tamen ipsi non concedent. Adde, quod in Tridentino contritio, & detestatio peccati appellatur dispositio, quam consequitur ipsa iustificatio: ergo contritio distinguitur adæquatē à forma iustificante: nam id quod consequitur, & id, ad quod consequitur, debet adæquatē distingui; nec posset propriē dici, quod iustificatio consequitur contritiōnem, si iustificatio est pars ipsius iustificationis, & includitur in illa sicut nō diceremus propriē, quod post ablationem sequitur baptismus; licet sequatur forma quæ est pars baptismi. Neque etiam id, quod est pars, dici solet dispositio ad id, quod est pars, prout contritio appellatur dispositio ad iustificationem. Denique, si contritio esset forma partialis ad iustificationem, sequeretur, transacta contritiōne, non manere physicē formam integram, à qua homo denominatur iustus, sed partem physicē, & partem solum moralem. *n. de Lugo de Penitentia.*

ter, scilicet, contritiōnem præteritam non retractatam. Vnde homo adultus iustificatus non esset tūc completē iustus physicē in esse per manenti, sicut paruulus, qui completē iustificaretur per habitum gratiæ, & nullo modo per contritiōnem; quæ omnia absurda sunt.

Ad obiectiōnem ergo respondeo faciliē ex principiis quæ posuimus disputatione præcedenti, per contritiōnem tolli formaliter avertiōnem à Deo in ordine ad hoc, quod homo non dicatur iam habitualiter avertus à Deo, id est, non existant prudentes de ipso; quod perseverat habitualiter in eodem affectu, ita vt si se offerret occasio, approbaret avertiōnem præteritam; & ad hoc sanē sufficeret etiam attritio; non tamen tolli formaliter perseverantiā moralem illius avertiōnis in ordine ad hoc, quod ratione illius meriti possit haberi homo odio à Deo, sicut si realiter perseveraret actus peccati præteritus, & in hoc sensu manet etiam avertio in ratione voluntariæ in ordine ad eundem effectum; quia tam potest odio haberi ratione illius, ac si nūc actu veller eam habere: quæ perseverantiā non tollitur semper per retractatiōnem, vt exemplo voti, & aliarum rerum probauimus latē disputatione præcedenti, & ideo non est necesse illud repetere.

Ratio autem à priori est, quod peccatum habituale, vt ibi vidimus, includit in suo conceptu actū præteritum, non condonatū, nec sufficienter retractatum ad extinguendam avertiōnem Dei: per contritiōnem autem nihil horum formaliter tollitur. Non enim tollitur quod peccatum præterierit, vt constat; deinde nec tollitur negatio condonationis; nec denique tollitur negatio retractatiōnis sufficientis: contritio enim nō est retractatio sufficiens ad placandum Deum; vt vidimus: nihil ergo eorum, quæ in peccato habituali includuntur, tollitur formaliter per contritiōnem; non enim includitur in peccato habituali negatio retractatiōnis vtūque, sed negatio retractatiōnis sufficientis ad placandū Deum, quæ negatio perseverat etiam posita contritiōne.

SECTIO VI.

Diluntur aliæ obiectiōnes ex P. Vasquez.

Obijci primò P. Vasquez, quia si homo existens in peccato mortali raperetur ad clarā Dei visionem; ille esset beatus: etiā si non infunderetur ei gratia, vel alij habitus infusus: ergo eo ipso esset sanctus, & iustus: non enim posset esse simul beatus, & peccator, quia hoc esset esse simul beatū, & miserum. Tunc autem non iustificaretur per gratiam habitalem; ergo per amorem beatificum, & dilectionem Dei, quo coniungeretur cū Deo, ergo etiam in via habeat hanc vim iustificandi dilectio Dei, cum sit eiusdem speciei cum dilectione patriæ.

Aliqui respondent negando, tunc expelli peccatū: ita Medina, & alij, quos refert, & sequitur P. Sals. *de beatitudine tract. 1. d. sp. 7. sect. 9.* vbi etiam negat illud dici debere beatum, quia beatitudo nō est sola visio, sed simul cum carentiā peccati. Hoc tamen videtur derogare multum formæ beatificanti, quæ communiter dicitur visio Dei: iam enim nō beatificamur formaliter per visionem, sed per visionem, & per carentiam totius mali, tanquam per formam disparatam: hæc autem carentiæ debent multiplicari pro numero malorum, quibus caremus, & per consequens essent innumere formæ beatificantes.

Alij dicunt, visionem esse formam adæquatam beatificantem, non tamen dare hunc effectum

128.

129.

130.

An visio
Dei expelle-
ret peccatum
habituale.

131.

L 3 forma